navibus, vel vectoribus conducendis, vel mercibus emendis vendendisve eſt præpoſitus; ſive cui totius navis cura eſt commiſſa, 1. §. 1. & 3. ab ipſo Exercitore; *vid.* 1. §. 5. vel à primo navis magiſtro, etiam ignorante, vel prohibente Exercitore. 1. §. 5. *ibi Peck. num.* 5. & *Vinn. lit. f.* quod ſingulari jure in utilitatem navigantium introductum eſt. *Peck.* & *Vinn. dd. ll. Stypmann. d. cap. n.* 119. & *ſeqq.*) cujuscunque conditionis, ætatis & ſexus. 1. §. 4. *ibi Peck.* & *Vinn. lit. a. Stypmann. d. cap.* 15. *n.* 115. & *ſeqq.* Si plures magiſtri fuerint præpoſiti, [1.] ſimpliciter, ex ſingulorum contractu hæc actio datur: 1. §. 13. [2.] ſi diſtinctis officiis, pro cujusque officio exercitor obligatur: 1. §. 13. [3.] ſi conjunctim, ne quid alter ſine altero gerat, tum creditor ſibi imputet, ſi contra legem præpoſitionis, quam ſcivit, vel ſcire potuit, cum uno contraxit. 1. §. 14. *ibi. Vinn. lit. d.* & *e. pag.* 111. & 112. Ex contractu nautarum (*vid.* 1. §. 2. *naut. caup.*) exercitor non obligatur, *propter* 1. §. 2. *h.* [*obſt. f. pr. naut. caup. ſtab.*] *vid. Peck.* & *Vinn. ad* 1. §. 2. *h.*

a. * (3.) de rebus, quibus ipſe eſt præpoſitus, & ſecundum præpoſitionis formam: 1. §. 7. §. 12. *arg.* 19. *de R. J. Loccen. de jur. marit. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 6. Hanc prætergreſſus, exercitorem non obligat, 1. §. 12. niſi forma præſcripta fuerit captioſa. *Buſ. ad l.* 1. §. *magiſtrum. n.* 4. *Vinn. ad* 1. §. 5. *h.* Commiſſa cenſentur etiam ea, quæ ſciente & patiente exercitore à magiſtro fiunt; 1. §. 5. *Stypmann. de jur. mar. l.* 4. *c.* 15. *n.* 181. vel ſine quibus expreſſè mandata nequeunt, vel non commodè poſſunt exequi. 1. §. 7. 8. *l. ult. h. arg.* 2. *de jurid.* 56. 62. *de procurat. Vinn. ad* §. 2. *l. quod cum eo qui in alien. pot. n.* 4. & *ad l.* 1. §. *non autem omni. lit. a. ff. h. t.* Unde ſi navis reficienda aut inſtruenda, & magiſter in id mutuatur, actio in exercitorem datur: modo (1.) navis in ea cauſa ſit, ut refici debeat, (2.) Pecunia expreſſè in eam cauſam credatur; nec (3.) multò major, quam ad id neceſſarium; & (4.) in loco, quo refectio fieri poſſit. 1. §. 8. §. 9. *l. f. pr.* §. 1. *Vinn. ad d. l. f. lit. a.* His obſervatis, exercitor obligatur, licet magiſter pecuniam aliò vertat. 1. §. 9. *l. f. h. ibi Peck.* & *Vinn. lit. a* & *b.* & *c. Loccen. d. c.* 7. *n.* 6. & 7.

Datur hæc actio illis, qui cum Magiſtro navis dicto modo contraxerunt, & illorum heredibus. 4. §. 4. Adverſus Exercitores, die Reders / oder Schiefsfreunde / *Stypmann. libr.* 4. *de jur. marit. c.* 15. *n.* 17. *Loccen. de jur. marit. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 2. qui ſcil. ex navi quæſtum exercent, ſive dominos, ſive qui per averſionem navem conduxerunt, ad tempus, vel in perpetuum. §. 2. *I. quod cum eo*, 1. §. 15. *h. Pichard. ad d.* §. 2. *I. quod cum eo. n.* 7. Si plures navem exercent ipſi, ſinguli tenentur pro rata; 4. *Stypmann. d. c.* 15. *n.* 193. Sin per Magiſtrum, ex illius contractu ſinguli in ſolidum obligantur: 1. §. *f. l.* 4. §. 1. *h.* [*obſt. f.* §. 5. *naut. caup. ſtab.*] *vid. Stypmann. d. cap.* 15. *n.* 197. *propter* 2. *h.* Quod tamen unus præſtitit, pro rata repetit judicio ſocietatis, communi dividundo, &c. *Stypmann. d. cap.* 15. *n.* 191. Apud Hollandos, plures exercitores ex contractu magiſtri tantum pro rata, nec amplius tenentur, quàm ad æſtimationem navis, & eorum, quæ in navi